

dextra Patris, claudentem, regentemque latus Parris defensionis causa? Bellarmius enim interserit: junior latus ei (senior) dexterum clauderet &c. dextrum latus nobiliorum hominum defensionis caussa tegebant &c. Satis ergo de hoc.

III.

§. 29. Responsio igitur tertia, in qua acquiescit, ita habet: Tertio dico, probabilius esse, per dextram Dei, ad quam Christus sedet, intelligi debere gloriam, potentiam & maiestatem divinam, ita ut sensus sit illius articuli, Christus sedet a dextris Patris, id est, pari potentia & honore regnat, judicat, & gubernat omnia cum ipso Patre: ita ut dextera sumatur simpliciter pro latere, id est, pro loco aequali, non superiore, vel inferiore &c. Patrum, & scripturarum testimoniis hanc suam ita probat assertionem, ut dicat: ita exponunt fere omnes Patres &c. idem indicant ipsae scripturae &c. Hinc agnoscit argumentum orthodoxorum, quos ille suo more vocat hereticos, aliquid valere. Excerpenda itaque ejus solutio est. Quæ cum ita sint, vide tur jam negari non posse, quin ipsa humanitas sit prædicta maiestate divina, & proinde sit etiam ubique. Respondeo, datam esse humanitatè istam sessionem, sed datam non IPSI IN SE, sed IN SUPPOSITO. Non enim factum est, ut humanitas in se ipsa sedeat ad dextram Dei: sicut non factum est per incarnationem, ut humanitas sit Deus, sed ut sit humanitas Dei, & proinde in concreto dici possit, iste homo est Deus, & sedet ad dextram Patris. Et APPOSITA est similitudo de PURPURA REGIS. Cum enim rex induit purpuram, & sedet in solio suo, evabit purpuram ad illud solium, non sic, ut purpura dicatur sedere, aut regnare, sed ut dicatur vestis sedentis, aut regnantis, & etiam ut dicatur purpuratus rex sedere, aut regnare &c. Hanc vero omnem asserti onem facile probari arbitratur, hoc uno: humanitas nec est, non esse potest aequalis DEO. Responsonem, qua dicitur, humanitatem non fieri, aequalem, quæ maiestatem illam ex gratia superexaltationis: habet, elidit: habere per gratiam, non est habere illam ipsam maiesta tem, sed QUANDAM ejus PARTICIPATIONEM, quæ non sufficit ad constituendam sessionem, de qua loquimur.

Bellar.
in Cate chism. in explica-

§. 30. Eandem Sessionis explicationem dedit Bellarm. in Catechismo, seu Explicatione Doctr. Christ. p. 39. & 40. ubi si mile de purpura regis repetit. Repetit in Explicatione Symboli Apostol. p. 93. 94. ubi haec ejus assertio est: Christum hominem sedere ad